

sect. iv, n. lvi; Navarrete hic contro-
trov. liii; Alvarez lib. ii de auxiliis,
disp. x et xi, sequitur Granados hic
tract. iv, disp. iv, sect. ii, qui citat
Scotum in i, dist. xxxix, quæstione
unica, §. Viso de contingentia; Ri-
chardus dist. xxxviii, art. i, quæst.
v; Cajetanus in præsentia quæstione,
art. xiii, et quod amplius est Vas-
quez disp. lxxvi, c. ii. Cæterum Gra-
nados, et alii, qui etiam id sentiunt
ex sua familia, loquuntur de cog-
nitione in decreto efficaci supponente
scientiam mediam quæ ante omne
decretum videt futura sub condi-
tione; Thomistæ in decreto non innixi
illi præscientiæ, quam non dari os-
tendimus sequenti disputatione.

ARTICULUS II.

Resolutio difficultatis propositæ.

I. Eligenda est a nobis tamquam D.
Thomæ sententia, futura non ha-
bere ex se ipsis determinatam veri-
tatem, nec posse sic determinate, et
certo a Deo cognosci in illa tantum
objectiva veritate secundum se, et
ex natura sua, sed indigere subjici
decreto divinæ voluntatis, sub quo
ejus futuritionem certo videt, ut te-
net se ex parte Dei. Et hoc decretum
non sufficit quod sit decretum de
concursu concomitante, et indiffe-
renti pro causis contingentibus, ita
ut ipsæ causæ debeant illum deter-
minare, sic enim rediret difficultas
seu potius non solveretur difficultas,
quomodo illa determinatio contin-
gentis causæ circa concursum in-
differentem cognosceretur a Deo:
sed debet decretum illud esse decre-
tum causativum determinationis
causæ contingentis, et futuritionis
rei, tollendo suspensionem contin-
gentiæ in operando, et servando
modum operandi sine necessitate;
non solum movendo, sed etiam ex-

citando, ut latius sequenti disputa-
tione, articulo iv, et articulo ultimo
expendimus. Hanc in summa exis-
timamus sine dubio mentem S. Tho-
mæ. Quæ ut clarior reddatur se-
quentibus conclusionibus explica-
tur.

II. Dico primo: Futura contin-
gentia ex vi objecti sui, seu veritatis
objectivæ non habent determinatam
veritatem, nec sunt cognoscibilia,
ut determinate futura. Est expressa
Aristotelis i periher. cap. viii, et ibi
docetur, et explicatur a D. Thoma,
lect. xiii, §. Ponit secundam ratio-
nem, ubi inquit: « Falsum est quod
omne quod est verum, fuerit deter-
minate dicere esse futurum. Ad cu-
jus evidentiam considerandum est,
quod cum verum hoc significet, ut
dicatur aliquid esse, quod est, hoc
modo est aliquid verum, quod habet
esse. Cum autem aliquid est in præ-
senti, habet esse in se ipso; sed
quamdiu aliquid est futurum, non-
dum est in se ipso, est autem ali-
qualiter in sua causa. Quod quidem
contingit tripliciter. Uno modo, ut
sic sit in sua causa, ut ex necessi-
tate ex ea proveniat, et tunc deter-
minate habet esse in sua causa,
unde determinate potest dici de eo
quod erit. Alio modo aliquid est in
causa sua, quæ habet inclinationem
ad suum effectum, quæ tamen im-
pediri potest, unde et hoc determi-
natum est in sua causa, sed muta-
biliter, et sic de hoc vere dici potest
hoc erit, sed non per omnimodam
certitudinem. Tertio, aliquid est in
sua causa, sed pure in potentia, quæ
etiam non est magis determinata
ad unum quam ad aliud; unde re-
linquitur quod nullo modo potest
de aliquo eorum determinate dici
quod sit futurum, et quod sit, vel
non sit. » Ita D. Thomas. Qui etiam
videndus est in eodem loco lect.
xiv, ubi ex Aristotele probat per
plures rationes, quod si in quocum-

que tempore præterito ita se habuit
veritas enuntiationum, ut necesse
esset, quod alterum oppositorum
vere diceretur, et ad hoc quod ne-
cesse est aliquid vere dici, sequitur,
quod necesse sit illud esse, vel fieri,
consequens est, quod unumquodque
eorum quæ fiunt, sic se habeat,
quod necesse sit fieri, hæc enim
sunt verba D. Thomæ ibid. §. Osten-
dit quod idem, etc. Manifeste ergo
contra D. Thomam et Aristotelem
sentiunt, qui dicunt futura contin-
gentia ex vi et ratione objectiva sua
habere determinatam veritatem. Vi-
dendus est etiam D. Thomas quæst.
ii de verit. art. xii ad 1, ubi inquit:
« Quod licet contingens non sit de-
terminatum quamdiu futurum est,
tamen ex quo productum est in re-
rum natura veritatem determina-
tam habet, et hoc modo fertur su-
per illud intuitus divinæ cognitio-
nis. » Et ibidem in corpore articuli
ostendit quod de futuris contingen-
tibus, ut futura sunt non potest dari
cognitio, nec Deus cognosceret illa
certo si cognosceret ut futura, sed
quod semper ordo divinæ cognitio-
nis est ad rem quæcumque sicut
ordo præsentis ad præsens. Et vi-
deri etiam potest quæst. xvi de malo,
art. vii, et q. xii de verit. art. x, et
in quæstione præsentia, art. xiii, et
supra citata lect. xiv periherme-
nias, quibus in locis semper in hoc
laborat D. Thomas ut futura contin-
gentia respectu cognitionis divinæ
a statu futuritionis extrahantur, et
per modum præsentis attingantur,
ut determinate, et certo in se ipsis
reddantur cognoscibilia, nam stan-
te futuritionis statu, contingentia
semper indeterminatam veritatem
habent.

III. Et hinc potest sumi funda-
mentum hujus conclusionis, et ex-
plicari ratio D. Thomæ, quia enim
illa semper utitur magnum indi-
cium est in ea multum ponderis

latere. Sic ergo proponi potest. Res
contingens ex propria objectiva ve-
ritate ante quam sit de facto pro-
ducta solum fundat veritatem per
modum futuri, sed veritas contin-
gens sub statu futuritionis est sub
statu indeterminationis, et indiffe-
rentiæ ut sit vel non sit, ergo sub
illo statu implicat quod fundat de-
terminatam veritatem, scilicet quod
erit, quantum est ex meritis pro-
priis, et ratione suæ objectivæ veri-
tatis. Consequentia patet, quia veri-
tas consistit in adæquatione ad esse,
vel non esse rei, ergo sub illo statu
sub quo res non fundat determina-
tum esse, vel non esse, non potest
fundare determinatam veritatem ex
vi sua, et ex meritis status; si ergo
status futuritionis est status indeter-
minationis in contingentibus ad
esse, vel non esse, implicat ex vi ta-
lis status fundare determinationem
in veritate quæ adæquatur ad esse,
vel non esse. Major est certa, quia
res antequam sit de facto caret esse
producto, et existenti in propria
mensura, ergo de se non fundat ve-
ritatem per modum præsentis, vel
præteriti, quia hæc necessario dicit
productionem, vel præteritam, vel
præsentem, solum ergo fundat veri-
tatem per modum futuri. Minor in
qua est difficultas probatur, quia
res contingens quamdiu non est pro-
ducta, nec in se ipsa, sed in sua
causa, non potest fundare nisi futu-
rionem contingentem, et impedi-
bilem; si illa futuritio non esset con-
tingens, neque impedibilis ex pro-
pria natura, res illa esset necessa-
ria, et non contingens, neque enim
contingentia rei consistit, nisi in or-
dine ad futurum, quia quod jam est
præsens, vel præteritum, extra con-
tingentiam est in eo in quo jam est,
solum autem est contingens in eo
quod deest, et quod futurum restat.
Si ergo res contingens fundat de se
futurionem contingentem et impe-

dibilem, ergo indeterminatam, et ita quamdiu est in statu futuritionis, est in statu indeterminationis. Patet consequentia, quia quod est in statu impedibili et contingentia, sub tali statu potest esse, et non esse, si quidem potest impediri, ergo non est determinatum quoad esse, vel non esse, ergo in contingentibus idem est esse in statu futuritionis, et in statu indeterminationis, quoad esse, vel non esse: ergo illud quod ex meritis suis solum fundat futuritionem contingentem, solum fundat ex suis meritis indeterminatum esse, vel non esse, ergo et veritatem. Dices: De se fundat impedibilitatem et contingentiam quoad esse, sed non quoad futuritionem, hæc enim determinata est ex suppositione quod res erit, suppositio autem illa est vera, ut eventus ipse declarat, quia de facto ponitur quando evenit. Sed contra est, quia futuritio ista non est aliud quam ipsum esse ut ponendum, sed est impedibile ipsum esse ut ponendum, quia si esset positum jam non esset impedibile in eo quod positum est, ergo ipsa futuritio est impedibilis, quia non stat impediri esse, quin tollatur futuritio. Quod autem dicitur esse determinatam ex suppositione quod res erit, est idem ac dicere, quod ex suppositione, quod est futurum, est determinatum quod sit futurum, quod nullus negare posset, sed hæc veritas non est veritas contingens, sed necessaria, nec pertinet ad exercitium futuritionis, sed ad essentialem rationem quidditatis, seu potius identitatis, facit enim hunc sensum, futurum est futurum, seu ex suppositione quod est futurum est futurum, nec ad hoc cognoscendum est necessarium lumen infinitum Dei, sed nos etiam id cognoscimus. Cum vero dicitur quod suppositio illa est vera ut eventus probat, latet hic magna æquivocatio, ille enim eventus non reddit ve-

ram determinate ipsam futuritionem, ut futuritio est, sed transfert futuritionem in actualem præsentiam eveniendo, et ratione eventus determinatur in actu quod ratione futuritionis indeterminatum erat. Et sic urgetur ratio, quia eventus ille, vel sumitur ut futurus, vel ut præsens in actu quando jam solvit futuritionem et transfert in præsens. Eventus ut futurus non potest reddere veram illam suppositionem, quia sic est ipsamet futuritio, et illa est contingens, et ad utrumque, non ergo eventus ut futurus reddit certam illam suppositionem futuritionis, sic enim idem per idem redderetur certum, et eadem difficultas est de ipsa suppositione futuri eventus, atque de eventu ipso ut futuro. Eventus autem ut præsens non reddit suppositionem illam futuritionis veram determinate, quia præsens ut præsens solvit futuritionem, ergo ex illo eventu non potest sumi verificatio determinata in statu futuritionis, sed solum verificatio determinata, prout redditur præsens. Et hoc est in quo perpetuo laborat D. Thomas ut futurum non dicatur determinate verum, nisi in quantum reducitur ad aliquem modum præsentis.

IV. Quia tamen hoc est præcipuum punctum, in quo auctores contrarii insistunt, videlicet, quod futurum contingens ex eventu ipso accipiat determinatam veritatem eo quod cum eventu ponitur determinata veritas est, ergo quando antecedenter ad eventum significabatur per modum futuri, ille eventus determinatus in illa futuritione significabatur, oportet hoc amplius explicare, et fundare nostram sententiam. Etenim determinatio eventus quando accidit, necessario habet aliam causam suæ determinationis præter causas futuritionis contingentis, quæ in ipso futuro re-

luent, et in causis propriis, et creatis illius antecedenter ad illum eventum, ergo non potest ex eventu qui determinate accidit, sumi argumentum quod futuritio ipsa explicans talem eventum non de præsentis, sed de futuro determinata sit. Consequentia patet, quia si causæ quæ sufficiunt ad futuritionem contingentem fundandam, non sufficiunt ad ponendum determinate ipsum eventum, ergo determinata veritas eventus quando de facto accidit, non potest præbere determinatam veritatem ipsi futuro quando significatur ut futurum contingens, si quidem in futuritione non exprimuntur omnes causæ determinativæ veritatis, quæ explicantur in ipsa positione, et præsentia eventus. Antecedens autem probatur, quia futuritio contingens fundatur in causis contingentibus, et indifferentibus ad utrumlibet, scilicet ad esse vel non esse, quia ista contingentia fundatur in causis proximis, et creatis respectu rei et effectus contingentis, non immediate in causa divina, quæ modo immutabili ex parte sua operatur. Est enim contingentia cum imperfectione et defectu, quia potentialitate et impedibilitate ut sit aliquid vel non sit, ergo non debet fundari in ipso actu puro, ut immediate operante, sed in causis potentialitatem et defectum habentibus quales sunt creatæ defectibiles, et liberæ. Requiritur ergo ultra causas creatas defectibiles, et impedibiles fundantes contingentiam in futuro, aliqua causa non contingens, scilicet divina influens esse determinate quando res fit præsens et extra futuritionem. Et constat requiri concursum Dei influentem determinate in hunc effectum qui accidit de facto, qui concursus non determinatur ab ipsis causis proximis et creatis, si quidem ipsæ in se indeterminatæ sunt, et indifferentes, quomodo ergo

possunt determinare concursum Dei, si ille etiam est indifferens, et indeterminatus, aut quomodo possunt determinare illum, nisi ex participatione ipsius Dei, et non ex se tantum? Ergo quamdiu non respicitur ad istam determinationem Dei, et participationem ab ipso, quæ tunc datur, quando de præsentis fit effectus extra causas, non potest pronuntiari determinata veritas in futuro, sed suspensa et contingens, ergo principia quæ sunt sufficientia ad futuritionem et contingentiam, non sunt sufficientia ad determinationem eventus. Et sic qui dixerit ante eventum positum, illum esse futurum futuritione contingenti, non dicet verum determinate, ergo ex determinatione eventus quando ponitur, non nascitur determinatio futuri contingentis.

V. Et ex hoc manifestatur æquivocatio qua proceditur in hac parte, quia quando eventus ipse redditur præsens et existens, tollitur contingentia, quia hoc ipso quod est extra causas non est amplius impedibilis ne sit extra illas. Futuritio autem illius eventus erat contingens, et impedibilis, poterat enim non procedere eventus extra causas; cum autem volumus sumere determinatam veritatem futuri penes eventum, non accipimus futurum ut contingens, neque accipimus futurum juxta fundamenta, quæ habet in re ut sit futurum, sed juxta fundamenta quæ habebit quando fiet præsens, quando actu et determinate procedet a causis suis, non solum sub indeterminatione se habentibus, sed determinate operantibus, quæ determinatio ultimate provenit a Deo. Qui ergo nunc pronuntiat aliquod futurum contingens, v. g. Petrus leget cras, potest ista propositio adæquari, vel cum fundamentis quæ jam de facto habet, ut de facto sit futurum, vel cum fundamentis, quæ

nondum habet, sed habebit quando actu producet eras. Si adæquatur cum fundamentis, quæ jam de facto habet ut sit futurum, impossibile est quod habeat determinatam veritatem, quia illa omnia fundamenta indeterminata sunt. Si adæquatur cum fundamentis quæ nondum habet, sed habebit quando actu producet, respectu ejus qui pronuntiat illam propositionem sine talibus fundamentis erit propositio fortuita, et sine fundamento prolata, respectu vero ejus qui novit fundamenta, quæ tunc ponentur ad determinandum illum eventum erit propositio determinatæ veritatis, non propter eventum ipsum, sed propter causam et fundamentum, unde habet determinari. Si vero sumatur illa propositio absolute, et non respectu hujus, vel illius, qui eam pronuntiat, et qui scit, vel non scit fundamenta determinationis ejus, talis propositio non est determinate vera, neque falsa, sed dubia, et contingens, quia hoc ipso quod pronuntiat tamquam de futuro, non potest conformari soli eventui ut præsens, sed futuritioni quæ modo datur, et illa est contingens et dubia. Nam quod eventus certo et determinate erit, non habebit ex causis futuritionis contingentis, quæ jam datur in causis creatis et contingentibus, quæ ab intrinseco indeterminata, et impediabilia sunt, sed ex causis quæ tunc de præsentibus erunt determinata. Propositio autem illa cum significet per modum futuri, de se conformatur futuritioni, quæ modo est, et causis ejus, non determinationi, quæ postea erit, cum actu producet. Verissima est ergo sententia D. Thomæ quod futurum nisi reducat ad aliquod præsens non fundat determinatam veritatem ex se.

VI. Dico secundo: Deus inspiciendo decretum suum quo decernit tali, vel tali tempore talem effectum de-

terminate fieri, vel determinate non fieri cognoscit creaturas futuras, non autem in sola essentia sua considerata ante omne decretum liberum, sed determinata per illud tamquam per id quo efficaciter, et determinate causat tale futurum, seu potius causat effectum pro suo tempore quando reddetur præsens. Pro hac conclusione videndus est D. Thomas I p. q. xvi, art. vii ad iii, ubi ponens argumentum, quo moventur oppositi auctores ad dicendum, quod veritas de futuro ex se, et ratione eventus futuri est determinata, quia id quod est verum de præsentibus semper fuit verum esse futurum, sed sicut veritas propositionis de præsentibus est veritas creata, ita veritas propositionis de futuro, ergo aliqua veritas creata est æterna. Hoc est argumentum quod proponit S. Thomas. Solvit autem illud sic: « Ad tertium dicendum, quod illud quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret: unde sublata causa non esset futurum illud fieri: sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur quod ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit ut essent futura. Quæ quidem causa solus Deus est. » Ita D. Thomas, sed Deus non est causa, ut res illa fiat, nisi per decretum suæ voluntatis, quia eo remoto solum res manent pure possibles, ergo res ut futuræ non cognoscuntur a Deo, nisi in causa talis futuritionis quæ est sua voluntas, per hanc enim discernuntur a statu puræ possibilitatis. Item in quæstione xii de verit. art. xi ostendit D. Thomas in veritatibus a propheta dictis inesse immobilem veritatem non secundum se, sed ut descendunt a præsentibus divina, quæ secundum consilium, et dispositionem Dei habet veritatem immobilem, et infal-

libilem, consilium autem Dei, est decretum ejus, operatur enim omnia secundum consilium voluntatis suæ. Verba D. Thomæ sunt solutione ad iv: « Ad tertium dicendum, quod consilium Dei dicitur ipsa æterna Dei dispositio, quæ nunquam variatur, sententia vero dicitur hoc ad quod aliquæ causæ ordinatæ sunt; sententiæ autem in judiciis ex causarum meritis proferuntur. Quandoque autem hoc, ad quod causæ sunt ordinatæ est a Deo ab æterno dispositum, et tunc idem est Dei consilium et sententia; quandoque vero ad aliquid ordinatæ sunt causæ, quod non est a Deo ab æterno dispositum, et tunc Dei consilium et sententia feruntur ad diversa: ergo ex parte sententiæ quæ respicit causas inferiores invenitur immutabilitas, sed ex parte consilii invenitur semper immutabilitas. » Ecce quomodo totam infallibilitatem seu immutabilitatem, ac determinatam veritatem futurorum D. Thomas reducit ad dispositionem divini consilii, non ad ipsam futuritionem rerum in se, aut in suis causis inferioribus, ex quibus sumitur futuritio, sed impedibilis et contingens, ex ipso autem eventum non potest sumi infallibilitatem quamdiu est futurus, sic enim non est aliud quam futuritio ipsa, et sic sumi determinatam veritatem futuri ex eventu, est sumi ex seipsa. Quando autem est præsens non habet determinationem futuritionis, neque est ex causis futuritionis, sed ex causis præsentibus. Quare infallibilitas illius debet sumi ex dispositione divini consilii, seu decreti. Quod vero sola essentia divina secundum se ante omne decretum liberum non sit sufficiens medium ad demonstrandum futuritionem contingentem, licet habeat virtutem representandi illam, sumitur ex ipso D. Thomæ quæst. ii de verit. art. xii ad xi, et videndus est

etiam D. Thomas in hac quæstione xiv, art. ix ad iii, ubi inquit: « Quod scientia Dei est causa rerum voluntate adjuncta. Unde non oportet quod quacumque scit Deus, sint vel fuerint vel futura sint, sed solum ea, quæ vult esse, vel permittit, nec est in scientia Dei ut illa sint, sed ut possint esse. »

VII. Ratio et fundamentum hujus sumitur, tum ex parte ipsius Dei, tum ex parte ipsius futuri contingentis. Ex parte quidem Dei, quia in se ipso debet habere intrinsecum, et sufficiens principium videndi quodcumque objectum creatum quoad quodcumque prædicatum seu formalitatem, quæ illi conveniat, inter quas una est futuritio, si quidem totum quod in creatura cognoscibile est, sive in statu futuritionis, sive possibilitatis totum a Deo descendit, et participatur tamquam a causa et radice, ergo cum futuritio determinata ad unam partem potius quam ad aliam sit veritas aliqua, seu ratio creata, quæ convenit creaturæ, oportet quod in Deo sit radix, ut principium a quo principiat et derivatur, et consequenter Deus intuendo illud, cognoscet determinatam futuritionem creaturæ, quia Deus omnia cognoscit perfectissime comprehendendo causas, et principia, unde derivantur et participantur. Sed in sola essentia divina antecedenter ad omne decretum liberum circa creaturas non est sufficiens principium, et ratio determinationis ejus ad unam partem potius quam ad aliam, ergo necessario exigitur ipsa divinæ voluntatis dispositio et decretum, ut tale futurum determinatum cognoscatur. Minor probatur, quia essentia divina secundum se, æque indifferenter se habet ad ea quæ futura sunt, et ad ea quæ in statu meræ possibilitatis sunt, et ista quæ nunc sunt futura potuissent non esse futura si Deus